



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Quod vis illa trahendi, abigendiq[ue] à nullo obice refrenari potest. Cap.  
XVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

tum veri puncti, vnde vis illa effluit, donabit, poteris & circa punctum illud granulū circumagere; perclitando & si egrius, an si vegetius attrahetur, & quando spontè, vel inuito à loco dimouebitur. In summa punctus, qui vehementius trahit, & tractum ægerimè dimittit, verè erit punctus attractionis, Admonendo quod

*Punctum in orbem suam vim diffundere*

cognouimus, vt à centro ad circumferentiam. Et sicut lumen candelæ spargitur vndecunque, & cubiculum illuminat, & quanto ab ea longius recesserit, eo languidius splendet, & paulo longius deperditur, & quanto propius accesserit, eo viuidius lucet. Eodem modo vis illa ex eo puncto emanat, & si propius hæserit, vegetius trahet, & quo longius, remissius, immodè & si multum recedet, euanesceat, & nulla sit, ob id pro ijs, quæ dicenda sunt, punctus ille suæ virtutis diffusiuus cognoscendus erit, & signandus, & orbem suæ virtutis vocabimus virtutum longitudinem.

*Quod vis illa trahendi, abigendiq; à nullo obicere frenari potest. CAP. XVI.*

SEd id omnem superat admirationè, vt non tantum admirari queas, quantum deceat, quod vis illa trahendi, pellendi que nullis cancellis concludi, nullo obice præpediri, aut refrenari potest, quin inuisibilis penetret, & obiectos lapides cognatos moueat, agitet que, & suas vires ostendat, ac si nullo intermedio vetaretur: sed intra orbem suæ virtutis. Nempe si supra tabulam ligneam, lapideam, metallicam que pensiles lapides accommodaueris, vel in æquilibrio constitutos, & sub tabula magnetem agitabis, virtutis effluuium ex huius corpore prouens, quasi spiritu quodam per cœterum, solidum que tabulæ corpus profiliens, lapidem super ea mouet, agitatq; ad eius motum, hoc mouente, mouetur ille, & hoc quiescente, quiescit. At si tabula ex magnetis lapide, vel ferrea fuerit, impeditur virtus, & nulla erit, rationes in suis locis adducemus, ex tot tantisque prodigijs Naturæ miraculis, nullum profecto hoc mirabilius videre contingit.